

Dominum sequens! Quoties aternis rationibus convictus, propono, relictis tandem vanitatibus, adhærere tibi summo bono, semitamque ingredi justitiæ; sed vix, pedem figo, statimque retraho, rediens ad pristinas vanitates, quas deserere parabam! Ah quid nisi inconstantia symbolum miser homo, nunquam sibi similis; ad momentum bonus, & paulo post in malum conversus, ante horam Apostolus, & post horam proditor! Ah sana Domine inconstantiam lubricæ, & nunquam stabilis voluntatis meæ: corrobora me in bono, & Spiritu principali confirma me, Ps. 50. Ut nec adversis deprimi, nec prosperis elevari me sinam, nec quavis ratione a semita justitiæ deflectam. &c.

CONSIDERATIO XVIII.

De Pulchritudine DEI.

Hæc 1. perfecta. 2. illimitata. 3. infinita.

P. 1. *Hæc perfecta.* Habet hoc pulchritudo præ aliis bonis naturalibus, quod sola sui specie, tenociniis, ac illecebris fascinet oculos, incantet & rapiat animum, ac

magnetis adinstar cor totum in sui trahat
 amorem. Da amantem, da desiderantem,
 quid aliud plerumque quam pulchritudo, cu-
 jus amore captus est, ipsum cum sponsa in can-
 tibus languere facit ac suspirare? Vix hæc incur-
 rit in oculos, & ecce! quot spectatores, tot
 statim invenit amatores. Non opus est ratio-
 nibus ac momentis, quibus persuadeatur, ne
 dicam convincatur intellectus; non stimulis,
 quibus exciteretur voluntas; non fomite, quo
 concipiatur, aut nutriatur ignis amoris; ipsa
 suis blanditiis ac illiciis cordi (velit, nolit) sta-
 tim dominatur, amoremque sibi & affectus
 nostros devincit. Vix oculos conjecerat Ho-
 losernes in vultum Judithæ, quantum com-
 movit hominis animum forma ejus elegan-
 tior; quantum emolliit superbos hujus Prin-
 cipis spiritus; quantum enervavit militarem
 ejus fortitudinem? Vix videtur Juditha, &
 vincit: Vix videt Holofernes, & vincitur.
 Nec alia arte opus est ad edomandos animos,
 quam ut oculis obtundas objectum, aspectu
 delectabile. Et tamen anima mea! quid venu-
 stas illa creata, quæ hominis vultum pingit
 (quam exquisitam etiam eam fixeris) si pe-
 nitius inspicitur? Detrahe speciosa huic lar-
 væ vel solam extimam cutem, quæ faciem
 am-

ambit; confunde non nihil lineamenta, in
 superficie ejus expressa, auge aut minue par-
 tem aliquam, ut proportio & harmonia inter
 eas turbetur; contrahe aut distende non ni-
 hil pellem vel ossa; ubi species, ubi decor,
 ubi theatrum illud amoris, oculorum, ani-
 motumque præda? O quam fallax & evanida
 mortalis pulchritudo, quam mille modis ac
 viis, corrumpas & evertas! Ah quam longe
 alia pulchritudo Dei, quam nihil unquam
 labefactare potest; insuper in omni genere
 pulchritudinis non perfecta modo, sed per-
 fectissima! Quam illa admirabilis; quam sub-
 limis, quam Divina; utpote pura sine defectu,
 simplex sine compositione, invariata sine
 mutatione, æterna, universalis, immortalis,
 ipsa idea & origo omnis pulchri, imo ipsa
 per se pulchritudo, quæ nec minui nec augeri,
 nec nasci nec mori, nec turbari, nec corrup-
 pi potest? Absoluta illa absque omni restrictio-
 ne; completa sine ulla Diminutione; per-
 fecta sine limitatione; æterna sine defectione;
 semper virens ac vernans, tantaque in omni
 genere pulchri & delectabilis; ut nec sapien-
 tia infinita Dei quid pulchrius comminisci,
 nec omnipotentia quid æquale, minus quid
 majus & excellentius producere possit: etiam

cetera omnem creatam pulchritudinem & in-
 tendere, & extendere in infinitum valeat.
 Et quid mirum? Cum entiper se & in omni
 genere perfecto, alia quoque pulchritudo
 competere non possit, quam absolutissima,
 & in omni genere pariter perfecta; quaque
 & ipsi, & omnibus suis perfectionibus omnem
 addat, concilietque elegantiam, splendorem,
 gratiam, dignitatem, ac majestatem, ita ut
 omnes, rapiat in sui amorem, debitamque
 venerationem. Ah! cui non vilescat omnis
 venustas creata; si in admirabilem illam pul-
 chritudinem vultus tui, Deus meus, oculos
 conjiciat? pulchritudinem, inquam, semper
 eandem, semper totam, semper antiquam,
 semper novam, nunquam marcescentem,
 nunquam senescentem, nunquam deficien-
 tem; tibi soli propriam, tibi uni debitam, tibi
 naturalem, imo essentialem; simul infinite
 amabilem, omnes omnium Beatorum ani-
 mos, stupore, extasi, amore replentem,
 & in se unam æternum maximo cum gaudio
 defigentem! Ah! ostende mihi faciem tuam,
 & salvus ero. Ps. 97. Videam lumen vultus
 tui, nullam unquam patiens eclipsin, lumen
 indeficiens, & nesciens occasum: lumen ad-
 mirabile, cujus comparatione omnis splen-
 dor

dot solis non nisi nox & tenebræ: *Q*uando veniam & apparebo ante faciem Dei! Ps. 41.
 Quando, adimplebis me læticia cum vultu tuo. Ps. 15.

P. 2 *Illimitata.* Vidistine unquam creaturas inter pulchritudines aliquam, quin habuerit certam mensuram, certosque pulchritudinis limites? Inter flores innumeros, quibus verno tempore terra vestitur, an vel unicum vidisti, qui non colere, figura, proportione, magnitudine, lineamentis, vivacitate, odore, ab alterio alterius speciei, plurimum differret aut quam in uno suspexisti venustatem, in altero nequaquam deprehenderis. Vel in solis nativis florum coloribus quanta se prodit diversitas, cum in aliis purpureus, roseus, coccineus; in aliis caruleus, viridis, croceus; in aliis argenteus. flammeus, sanguineus; in uno simplex sit, in altero varius ac permixtus? Nonne vel hoc solum manifeste te convincit singulorum pulchritudinem certos intra limites contineri, certis circumscribi angustiis; nec inter innumerabilem creaturarum multitudinem inveniri vel unicam, quæ paucarum etiam, ne dicam omnium aliarum, venustatem in se contineat; ut proin nulla sit, quæ non habeat

pulchritudinem sibi propriam; nulla pariter
 cui non desit aliquid, quod in altera suspici-
 mus, ac demiramur? Quantam ergo eam
 pulchritudinem esse necesse est, cui nihil deest,
 aut deesse potest ad plenitudinem, supremam-
 que perfectionem; quæque non solum in se
 una complectitur omnem pulchritudinem
 omnium existentium, ac possibilium creatu-
 rarum; sed & absolute omnem rationem pul-
 chri penitus exhaurit, ut proinde omnem
 mensuram excedat, nulloque circumscriba-
 tur limite? Talem autem esse pulchritudinem,
 Deo propriam, ex eo manifestum fit; quod
 si perfectior sive in linea creata, sive increa-
 ta possibilis esset, aut ab intellectu concipi
 posset; hæc ipsa Deo major esset, ipsamque
 Dei infinitatem excederet. Accedit, quod Di-
 vina pulchritudo Deo intrinseca, & essentialis
 fit, ut proinde neque ab ipso, neque ab alio,
 sicuti nec ipsa ejus Divina natura, arctari, aut
 circumscribi potuerit. O mi Deus, quem non
 alliciat, tam admiranda & infinita pulchri-
 tudo, cujus vix umbram invenire licet in qua-
 cunque pulchritudine creata, quantumvis in
 unum collecta, quantumvis per omnipoten-
 tiam tuam indies aucta & multiplicata! Cum
 quidquid pulchritudinis extra te est, rationem
 puræ

puræ creaturæ, ideoque pulchritudinis imper-
 fectæ, & finitæ (quæ uti major & minor, ita
 minor & minor dari semper potest) excedere
 nequeat. Hæccine autem umbratilis pulchri-
 tudo, spoliū temporis, simulacrum inco-
 stantiæ, ludibrium oculorum & terreni amo-
 ris, nec plus quam vestigium pulchritudinis
 tuæ luto impressum, tantum valeat in anima
 mea, ut ejus affectum, vel primo sui con-
 spectu rapiat, & tua mi Deus! tam admirabilis
 sublimis, inexplicabilis, incomprehensibilis, su-
 prema, & illimitata pulchritudo, totam la-
 titudinem ac immensitatem pulchri ex-
 quans, imo exhauriens, non vindicet sibi
 amores meos; non inveniatur locum in corde
 meo, quem occupet? An ideo, quod excedat
 captum meum, admirationem potius, quam æstimationem
 meam merebitur? An quod oculis corporeis eam non videam,
 minus digna est amore meo? Nonne in omnibus
 operibus manuum tuarum ita ad vivum relucet;
 ut, cum in singulis expressam videamus
 imaginem quandam, etsi imperfectam pulchritudinis
 tuæ, ex his ipsis tamen lineamentis (velut ex umbra
 corpus) magnitudinem pulchritudinis tuæ non
 obscure metiri liceat? Nonne vel ideo omnia mihi
 succlamant illud

Sapientiae. 13. *Quanto his dominator eorum speciosior est?* Nonne usque adeo hæc totam intellectum tuum semper tenet defixum, ad contemplandam speciem suam, idque infinita cum voluptate; totamque voluntatem tota aeternitate occupavit, & occupabit in sui amore? Quod te gaudio infinito perfundit, id mihi salt diu pariat? nec potius excitabit desideria mea, ad participandam saltem particulam immensæ beatitudinis, ac voluptatis tuæ, contemplando scriptas & cum intimo animi gustu ambrosiam splendorem, gratiam, ac venustatem vultus tui; & specie illa, quæ ex superat omnem sensum, oblectando mentem meam? &c.

P. 3. *Infinita.* Si tanta pulchritudinum varietas, & copia invenitur in puris creaturis toto orbe dispersis, & tamen omnes illæ pulchritudines non sint nisi tenues scintillæ a Divino sole in creaturis suis accensæ, ad representanda nobis rudia quædam pulchritudinis ejus lineamenta; quanta hæc in semetipsa sit oportet: utpote Deo intima & naturalis, necessario tantum excedens omnem venustatem creatam, & possibilem, quantum Divina excellentia & natura excedit naturam creatam; quantumque finitum exceditur ab infinito?

Cum

Cum enim pulchritudo, omnesque proprietates, ac perfectiones Divinae conformari debeant ejusdem essentia; non minus infinita esse potest, quam sit ipsa essentia: eo quod finiti ad infinitum nulla sit proportio, nec essentia infinita aliquid finitum sibi adsciscere possit. Cumque præterea collectio Divinarum perfectionum non minus pulchritudinem Dei constituat quam creaturarum omnium pulchritudo pulchri ud nem totius universi; quomodo ipsa infinita non sit, quæ non nisi infinita complectitur? Cum singulae perfectiones Divinae & infinitæ sint in genere suo, vg. Omnipotentia infinita in vi producendi, sapientia in vi & virtute cognoscendi, &c. & pariter singulae in semetipsis infinite pulchrae sint, utpote totam amplitudinem pulchri æque necessario complectentes, quam ipsa natura Divina, cum qua idem sunt. O quam jucundum, planeque admirabile spectaculum sit necesse est, videre omnium Divinarum perfectionum eumulum; quarum singulae ob insitam sibi infinitam pulchritudinem abunde sufficerent ad omnia animæ desideria explenda! Quale theatrum amoris ac dulcedinis; in quo quidquid exhibetur, infinite amabile infinite pulchrum ac delectabile est; Et quid aliud

aliud amabo, capax esset constituendi beatitudinem Dei, quam hæc summet ipsius & quidem infinita, pulchritudo, cum mentem infinitam, qualis est Deus, non nisi infinitum satiari possit? Imo quid aliud explere posset vel appetitum animæ rationalis, utpote ad imaginem Dei conditæ; atque ideo non quiescentis perfecte, nisi in solo infinito? Si enim oculus non satiatur visu, nec auris auditu; quid satiari poterit animam infiniti capacem, nisi quod infinitum est: in quo quælibet natura & potentia rationalis quietere tandem debet, utpote ultra infinitum se non valens extendere? Hinc merito psaltes Regius: *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua*. Pl. 16. O quam ineffabilis, quam excellens, quam incomprehensibilis ergo sit oportet ea pulchritudo, quæ non solum perfecte extinguit omnia hominis desideria, ejusque appetitus omnes satiat; sed & explet desideria ipsiusmet Dei, complet omnia ejus gaudia, terminatque omnem ipsius felicitatem ac beatitudinem! Quam immensa & infinita sit necesse est, cum vel solus illius intuitus constituat totam illius vitam, totamque & æternam illius occupationem; tantisque intellectum illius repleat deliciis, ut hoc unum sem-

per

per spectet, quin mentis oculos ab eo vel momento avertere possit; tam ineffabili gaudio repleat, ut majus & abundantius capere non possit; ita denique afficiat voluntatem, tantaque vi impellat, ut cogat ad amandam illam infinite, amore æterno, semperque existente! Et post hæc anima mea! quid quæras extra Deum, quod Deus non habeat in se, utpote continens quidquid in natura boni & pulchri est, & quod tu non invenias in Deo? Nonne usque adeo infinities plus semper in eo invenies, quam vota tua ambiunt? Nonne majora & meliora, imo in infinitum excedentia omne id, quod in creaturis amare potes? O Deus meus & omnia! Non sit contentum cor meum tam infinito pulchritudinis tuæ thesauro, quo tu ipse contentissimus es? Si tua tibi sufficit pulchritudo, ad eam infinite amandam; hæc mihi non sufficiat, ita ut aliquid amare audeam præter te? Ah nonne in te uno bono invenio omne bonum, in una tua pulchritudine omnem pulchritudinem! Quæ pulchritudo fatiabit animam meam, si omnis & infinita pulchritudo eam non satiet? Si tu ita capiaris pulchritudine animæ justæ, quam tibi sponsasti in fide, ut dicere non verearis? *Quam præbra es anima mea,*

mea, quam pulchra es? Cant. 4. Non capi-
 ar ego pulchritudine tua æterna simul, &
 immensa, ita excedente omnem pulchritudi-
 nem creatam, ut hæc etiam in unum conflu-
 ta, vix speciem aliquam referat incompre-
 hensibilis pulchritudinis tuæ, eamque po-
 tius instar umbræ obscuret, quam illustret?
 Ah moriatur tandem in anima mea omnis
 idea pulchritudinis creatæ, tuæque sola,
 quæ omnem captum, omniaque de-
 sideria superat, cor meum occu-
 pet, sibi que devinciat!

&c.



IN-